



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 4. In Islandiâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Iepores & vrsos albos, qui sub aquâ vt Vri viuunt. *Magister Adamus Canonicus Bremensis de situ Dania.*

In Noruegiâ aër aliquando omnino corrumpitur, muribus quibusdam morientibus quos *Lemmer* appellant indigenæ. Hinc morbus oritur inducens in caput vertiginem, & per totum corpus aturiginem effundens. *Cardanus lib. 1. variarum cap. 4.*

Addit *Olaus* hos mures esse variegatâ pelle, cum imbre de cælo cadere, & diu dubitarum, vtrum in aëre formarentur; opinionem hanc refutatam esse, ex quo in eorum aluo herba reperta est. *Olaus.*

In Noruegiâ fons omnia in lapides mutat, ligna, lina, &c. per annum immersa. Id probauit Episcopus Oxippale regnante *Guacialdemaro Rege Danorum. Syluester Cambrensis.*

Prope *Nidrosiam* lacus omnibus congelatis, atque rigentibus numquam concrefcit. *Olaus lib. 1. cap. 27.*

Aër in Noruegiâ adeò frigidus, vt plerumque præcordia occupans, atque stringens priùs homines interimat, quàm se dolere sentiant. *Barclaus in Icone Animorum.*

In Septentrionalibus lacubus congelatis, sub ipsâ glacie obventum inclusum, non minor auditur sonus, quàm sæui tonitruui ex densitate nubium in lateribus coarctati. *Olaus Magnus lib. 2. c. 4.*

§. 4. In Islandia.

HECLA mons semper obductus niue perpetuis ignibus exæstuat, & plerumque lapides eructat. Certè anno 1580. tanto cum fragore & tumultu saxa eiaculatus est, vt ad 80. milliaria grandiores machinæ displodi putarentur. *Georgius Bruno.*

Ad eundem montem *Vorago* quædam, ad quam apparere solent demortuorum manes, & cum ambulatibus colloqui; neque detegitur error nisi cum spectra ab oculis euanuerint. *Angrimus Ionas Islandus, & Olaus cap. 3. lib. 2.*

In hac Insulâ fons est aquæ fumigantis, quidquid fumi huius exhalatione efflatur, in lapideæ naturæ duritiem transmutatur, formâ duntaxat superstitæ. *Andreas Velleius Danus.*

Est hîc quoque fons aquæ pestilentis, quem qui gustauerit perinde ac veneno necatur. *Idem Velleius.*

Sunt & ignes qui cum linum amburere nequeant, aquæ ta-

men molliem depascuntur. *Idem Andreas.*

Boues, & vaccæ hîc carent cornibus, non autem oues. *Angri-
mus Ionas.*

Reperiuntur hîc latices cerealis poculi saporem referentes. Hunc porrò fontem cùm Domini muro sæpire voluissent, vt aquam eius facerent vectigalem, & ex eâ quæstum facerent, mutauit locum & aliò deffluxit. *Andreas Velleius.*

In littore Meridionali Insulæ fontes duo, Occidentalis lanas nigras commutat in albas, Orientalis albas in nigras. *Georgius Carolus Flander.*

In mediâ Insulâ lacus ex quo halitus tam teter erumpit, vt superuolantes volucres enecet. *Auñtor libri Rerump. & Imp.*

Prope portum *Hanefordt*, specus in modum putei in quo nulla aqua visitur, sed si lapidem proieceris post semihoram strepitum audies, quasi saxi in peluim æream cadentis, & illicò aqua ascendet ad os putei, sed illâ adhuc nemo gustare est ausus. *Idem Auñtor.*

In ora maritima ex eodem tractu fontes erumpunt duo, quorum alter frigidissimus, alter calidissimus, qui postea coniuncti balneum efficiunt. *Idem.*

Ventus inter Septentrionem, & Occidentem spirans adèò hîc vehemens, vt aliquando armatos equites ab equis deiiciat. *Olaus Magnus lib. 1. cap. 10.*

§. 5. In Groenlandia.

Hic visitur Monasterium S. Thomæ Dominicanorum, & ab illo non procul mons igniuomus, ex cuius pede fons ignitus erumpit. Huius fontis aquis pertubos deriuatis, non modò omnes cellæ Monachorum instar hypocaustorum calefiunt, sed etiam cibi, immo & panis ipse coquitur. Tophum, seu pumicem mons euomit, ex quo totum est structum cænobium, tophienim hi illâ aquâ perfusi, quasi adhibito bitumine conglutinantur. Hic item horti pulcherrimi aquâ feruente rigati, in quibus flores, & fructus omnis generis. Hæc autem aqua vbi per hortos decurrit, cadit in vicinum sinum, seu portum, quò fit vt numquam gelu concreseat, ideóque appellant pisces, & volucres innumeræ, quibus incolæ ad satietatem victitant. Illa scribit, qui vidit & oram detexit Archithalassus Regis Daniæ *Nicolaus Zennus Venetus.*